

persequantur. Si autem occulte diaboli persecutione feriantur. putant se non coronari christo. noli timere quando imitaris christum. Nam & quando temptauit diabolus dominum. nullus homo fuit in heremo. Occulte illum temptauit. sed superatus est. & aperte se ueniens. superatus est. Sic & tu si uis intrare per uniuersam. quando occulte temptat inimicus. quando postulat hominem ut aliquid ei noceat per corporales molestias. per febres uel egritudines. per aliquos labores corporis. sicut laborauit iob. Diabolum non uidebat. sed potestatem dei intellegebat. Nouerat quia diabolus in eo nihil possit. nisi a illo cuius summa potestas est permitteretur. Totam gloriam deo dabat. potentiam diabolo non dabat. Nam & quando abstulit diabolus omnia. hoc dixit. Dominus dedit. dominus abstulit. non dixit. dominus dedit. diabolus abstulit. quia nihil abstulit nisi diabolus. nisi permisisset dominus. Ideo autem permisit dominus ut homo probaretur. diabolus uinceretur. Et quando eum plaga percussit ille permisit. quia cum acapite usque ad pedes in putredine uermium fluere. nec tunc tribuit diabolo aliquam potentiam iob. Sed cum ei suggestisset uxor eius quam solum reliquerat diabolus non consolatricem mariti sed adiuuatricem suam. & dixit ei. dic aliquod uerbum in dominum & morere. Dixit ei. locuta es tamquam una ex insipientibus mulieribus. Si bona suscepimus de manu domini. mala quare non sustinebimus. Ergo quis sic imitatur christum ut tollere omnes molestias huius seculi. spes eius in deo sit ut nec in lecebra capiatur. nec timore frangatur. ipse est.

Qui habitat in adiutorio altissimi. & in protectione dei caeli commorabitur. Sicut audistis psalmum & cantastis. Nam inde inquit incipit psalmus. quibus autem uerbis temptauit dominum diabolus. cum ad ipsam uenerimus. agnoscatur. nota sunt enim. Dic & domino susceptor meus estu. & refugium meum dominus meus. Quis hoc dicet domino. qui habitat in adiutorio altissimi. quis est qui habitat in adiutorio altissimi. qui non habitat in adiutorio suo. Quis est qui habitat in adiutorio altissimi. qui non est superbus. Quomodo illi quum.